


F. K. 117.30.

II a
602



*Judicium Hippocratis: Ars longa
vita brevis*

MEMORIAM GEHLERIANAM

ORATIONE SOLLEMNI CELEBRANDAM

INDICIT

AD EAMQVE AVDIENDAM

HUMANISSIME OBSERVANTISSIMEQVE INVITAT

M. IOANNES GOTTFRIED GEISSLERVS,

AVG. GYMN. GORL. CONR.

GORLICH, STANNIS FICKELSCHERIANIS.



[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]





MEMORIAM
G E H R I A N A M

ORATIONE SOLLENNI CELEBRANDA

INDICIT

AD LANGVAE AUDIENDAM



Artem longam, vitam breuem esse, Hippocratis uetus dictum est, a nemine, quod sciam, reprehensum, a pluribus laudatum, hodie uero, experientia teste, sin minus uerbis, re certe et usu explosum a plerisque et neglectum. Nostros enim iuuenes, uel, si mauiis, pueros senilem sibi in pueritia sapientiam, et uirilem in dicendo uim et coptam, in tenera et imbecilla aetate uindicare, quis dubitet, cum plerosque scholarum pertaefos, impuberes in academias euolare uideat. Leibnitium enim, cum relatum legant, pueritiam uix egressum summos in iure honores ambuisse, quis reprehendat, eos, qui tanto talique uiro aut pares, aut certe superiores sibi uideantur, eruditionem, quam schola dudum non ceperit, tandem aliquando in academiam protrudere. Fit scilicet, fato, nescio quo, iratori certe, ut iuuenum plurimum, citius, quam opineris, de sese honorificentissime, de aliis temere et tenuiter sentire assuecant. Cuius rei causas dum perquiro, et omnis eruditionis faciem dum perspicio, lacera et mutila disciplinarum membra, fere ubiuis, pro corpore robusto et succipieno, et uenditari et haberi sentio.

Tantum enim abest, ut uita, quam breuem Hippocrates dixerat, non uni arti sed pluribus simul perdiscendis hodie non sufficiat, ut uulgare potius, sic totidem annis, post Latinam Graecamque, et, si opus uideatur, Hebraicam linguam, etiam Gallicam, Italicam, Anglicam, nimirum, perdiscere, quor olim, uix uni trium istarum percipiendae, satis esse uidebantur. Neque in historiis nostri minus quam in linguis celeriter proficiunt. Vix enim hi, historiae catholicae, Imperii Romano-Germanici, regnorum et statuum, ecclesiasticae, literariae, philosophicae, de quibus olim altum apud omnes silentium, imo, quod hodie inprimis multi fatagunt, historiae patriae, nempe, prouinciolaе, urbis, uici, in quo quisque natus sit, tantum temporis tribuunt, quantum illi simplices et tardi maiores nostri, uel SLEIDANO de quatuor summis imperiis in scholis edificendo, uel in academiis CARIONIS Chronico iterum iterumque perlegendum tribuebant. Nostros autem philosophos, aetate ad duodeuigesimalum usque annum proueda, graues, si cum quadragenariis pristini temporis conferas, pudet commemorare, quantum hi pro illis in metaphysicis caeci, in physicis imperiti, in logicis inertes, in ethicis uani, iuris uero naturae et politicae omnino expertes appareant, cum nostri in omnibus praestantes exercitatie inueniantur. Quae si uera essent, ut omnes illi contendunt, qui tantopere de seculi nostri splendore et luce, in literarum studiis illustrandis glo-

gloriantur, esse profecto, quod aetati nostrae, ut vulgo fit, de insigni et vere diuina felicitate gratulemur, qua factum sit, ut paucissimis annis mens humana, cultu et doctrina, ad idem euehatur fastigium, ad quod, patrum nostrorum memoria, post aliquot lustra uix aspirare licuerat. At, si, si penitius rem perspexeris, longe aliter sentias. Fuci enim ubiuis plurimum et pigmentorum abunde, uerae autem, solidae et integrae doctrinae uix usquam parum conspicias. Id quod, uel hoc uno argumento edocet, norunt, quibus euocare alios ad grauiora munera obeunda negotiorum datum est, quod uix ac ne uix quidem sibi reperire contingat, qui sustinendo oneri pares sint, non modo uel doctorum hominum, quibus talia munera mandentur, copia suppetat. Quid, quod uel illi ipsi, qui de doctrina sua iuuenes optime fenserant, quibusque munera leuiora, uel ingenii sui dotibus, uel doctrinae copia indigna uidebantur, adolescentiam ingressi et ratione confirmati, mirum, quantum, sibi displacent, et uix prouinciam inueniunt, cuius numeros se expleturos esse, non desperant.

Vnde uero haec, ut cum Comico loquar, fundi literarii calamitas? Post *πολυμαθίας* neglectum, de quo alio me tempore dicere memini, si quid ego uideo, ex compendiorum, quae uocant, multitudine, ieunitate et arrogantia. Etenim, ut aretalogi nostri & unguentarii, de suis essentis et spiritibus, ipsorum uerbis uxor, mira praedicant, in quas scilicet infinitarum herbarum, radicum, metallorum uires, artificiose, ut aiunt, concentratas compegerint, ita quidem, ut, uel una guttula, tantum, quantum uini generosioris ampliora roboris et uirium contineat, ita etiam fere compendiarum nostri scriptores, omnem fere succum et sanguinem doctrinae cuiuspiam in sua compendia contulisse affirmant, et, quod pessimum est, imperitis iuuenibus persuadent, quamuis, si dicendum, quod res est, non succus modo et sanguis, uerum color etiam disciplinae et species saepe numero in compendio perierit. Iuuenes ergo diurna nocturnaque manu, ex Horatii praecepto, nihil solidae ueraeque doctrinae iisdem inesse, argumento discunt, quin disciplinam uniuersam, cuius doctrinam compendium profiteatur, plane teneant. Intelligentes contra et rerum periti, nihil solidae ueraeque doctrinae iisdem inesse, argumento discunt, quin disciplinam uniuersam, cuius doctrinam compendium profiteatur, plane teneant. Intelligentes contra et rerum periti, manea autem et deterrata, aut luxata saltem et distenta disciplinarum capita in plerisque comparere aiunt. Quandoquidem non nisi summi et peritissimi artificis sit, primas artis lineas ita ducere, ut paucis praeceptis ambitus artis omnis et uis inclusa sit, cum hodie tamen, si fere conscribendis compendiis operam dent, qui ipsi nondum sapere ultra compendia didicerint. Ego uero illud mihi uerissime affirmare posse uideo, doctissimum quemque uel auocaturum iuuenes a compendiorum ritualis, et ad fontes ipsos deducturum, uel, si quae probauerit, ita traditurum iuuenibus, ut diligenter admoeat, nunquam subsistendum prius in studio literario, quam ad metam quis, id est, ad interiores literarum recessus penetrauerit, quos qui in compendiis sibi recludi persuadeat, eum in effigie humana, uel simulacro, succum quaerere et sanguinem. Credant itaque expertis iuuenes, non ab ulla sibi alia re cauendum esse magis, quam ab infinita et incredibili compendiorum, quibus omnia nunc sciant, multitudine, neque unquam se, ut hodie haud raro fit, ab altero ad alterum compendium deduci patiantur, sed, si uel maxime per compendia eundem sit, tum demum tempori se parcere exploratum habeant, cum a compendiarum ad uiam regiam et fontes disciplinarum deducti, compendio confecto et ritualis degustatis, fontes combibant, plenisque quasi haustibus, honestam literarum sitim restinguant. Id si fecerint, nunquam acciderit, ut uel longum ad doctrinam quamuis iter tam cito a sese emensum opinentur, uel indulgentius de doctrina sua sentiant, uel alios temere reprehendant, uel committant, ut suae ipsorum stultitiae seipos poeniteat, pigeat, pudeat. Intelligent enim tum demum, artem, quae exigua et breuis uisa fit, immensis descriptam esse finibus, summosque artifices, de scientiarum amplitudine et temporis angustia frequentem, de earundem breuitate et otio nunquam conquestos esse. Qua ex re, et illud exister commodum, ut non tantum a *πολυπραγμοσύνης* hodie fere communi, abhorreant, sed desultoriam etiam leuitatem abiciant, qua nunc plerique uix delibatis disciplinae cuiusdam elementis, ad aliam se conferunt, eademque pari negligentia exulta, nouam, in qua uires ingenii periclitentur, arripiunt, tandem uero *πολυτορίας* opinione uana inflati, confusam et perturbatam doctrinam ostentando intelligentibus risum, uel, si impudentius, ut sit, egerint, bilem ita commouent, ut suae post haec iactationis ipsos poeniteat.

Ne

PK Ta 602


X 355 307

VD18

Ne quis uero omnes compendiorum utilitates et opportunitates abiici a me et negari
 puret, pauca de iisdem addere necessarium uideatur. Absonum profecto foret et temerarium,
 ea compendia aspernari et contemnere, quae a summis artis magistris profecta sint, qui nun-
 quam certe ad istum laborem descendissent, nisi eum inprimis utilem et fructuosum literarum
 studiosis fore uisissent. Sed ita iis utendum est, ut praeceptum a tantis uiris et praecipuum
 fuit. Scilicet ut rerum ordo percipiatur commodius a tironibus, teneatur a uiris, capita
 scientiarum praecipua in fasciculum, quasi collecta sunt, ad quae omnia, quae ad scientiam
 quandam pertineant, commode referri possint. Qui igitur istis compendiariis uti uolet, de-
 libabit inde primum ordinem rerum, ex compositione et coagmentatione facilius perspicien-
 dum, deinde properabit ad fontes ipsos, et quidquid ibi, quod memoria dignum uideatur,
 deprehenderit, id ad capita olim ex compendio percepta referet. Ita, uel uassillimae artes,
 collectis et coactis paulatim partibus, in unum quasi locum conclusae, non memoria solum
 facilius continebuntur, sed clarius etiam luculentiusque animo obuersabuntur. Quapropter
 cautione magna opus est, ne quis in compendia incidat, quae neque ab artis peritis, sed ab
 ipsis tironibus, neque distincte et ordinate, sed confuse et perturbate composita sint. Nemo
 uero, quisquis ille cuiusue fuerit, tantum tribuat compendiis, ut fontes uel plane negligat,
 uel posthabeat. Peccandi enim si quis hic quaerat licentiam, eum excusatus peccatorum
 opinor, si neglecto ordine per literarum fontes uagetur et erret, quam si additum compendio
 et mancipatus, quod ille uix, hic certo certius, in animum inducet, se uniuersam scientiam
 percellere sibi persuadent.

Hanc igitur literariam Charybdin ut diligentissime uident studiosi iuuenes nostrae fidei con-
 crediti, uehementer cupimus, ne uero in Scyllam incidant et uagam putidam ad literarum
 studia diligentiam conferant, oratione cauebimus, crastino die in memoriam B. CAROLI
 GEHLERI habendam. Ad quam audiendam, ut SENATVS AMPLISSIMVS, REVE-
 RENDI SACRORVM MINISTRI, GYMNASII PATROMI ET FAVTORES RELIQVI
 frequentes et beneuoli conueniant, ea, qua decet pietate et obseruantia contendo,

P. P. a. d. ~~1688~~ Dec. 15 1688



nc

J.K. 17.30.

IIa
602

*fun Hippocratis: Cito longa
vita brevis*

MEMORIAM LERIANAM

E SOLLEMNI CELEBRANDAM

INDICIT


EAMQVE AVDIENDAM

MANISSIME OBSERVANTISSIMEQVE INVITAT

NES GOTTFRIED GEISSLERVS,

AVG. GYMN. GORL. CONR.

LICII, STANNIS FICKELSCHERERIANIS.



Farbkarte #13